

ullum animi ostentabat. Quinimo Mendoza novas firmandæ pacis conditiones meditabatur; atque in id convenerant, ut oppida Mantuano restituerentur, puellaque Mediolanum mitteretur, ubi cum matre maneret, neque inde nisi Cæsare & Mantuano volente amoveretur: separatimque a Mendoza ac Castilioneo syngraphis ea de re confectis, tertiam cui Cardinalis subscriberet, Mantuam deferendam curaverant. At Cardinalis, re cognita, quod se infcio syngrapham ejus nomine conscripsissent, vehementer conquectus, ab ea concordie ratione abhorrens, filiolum dimittere nolle, atque a Sabaudis illata sibi damna sarciri velle, affirmabat. Neque feliciore eventu, quæ a Maximo, Bretinori Episcopo, agitabantur, cessere. Cum enim ultro citroque Mediolano Taurinum, Taurino Mantuam commeasset, eas concordie conditiones proponebat, quas haud parum Cardinalis averfabatur. Primum enim penes Pontificem oppida deponi, ejus milite obarmari, deinde ab Allobroge ac Mantuano arbitros deligi, quibus mensis spatium ad controversias dirimendas tribueretur, postulabat. Sed cum dura ea nimium atque prorsus aspera, viderentur, eo delabebatur, ut depositi loco in Pontificis, Cæsaris, Galliarum atque Hispaniarum Regum potestate oppida essent; eorum voluntati ac sententiae controversiae, intra menses quatuor definiendae, permitterentur; statimque Cardinali occupata restituerentur. At nullam conciliandae pacis rationem, nisi prius sibi adempta traderentur, Mantuanus admittebat: æquum non esse, ut, qui indigne adeo affectus fuisset, is sui honoris existimationisque oblivisceretur; eam ad extremum usque spiritum retenturum: oppidis receptis, atque de illatis damnis sarcendis sponsione facta, tum de reliquis agi passurum, seque pacis cupidissimum ac studiosissimum esse patefacturum.

Carolus, ut diximus, Trino, Alba ac Monte Calvo cum arce una potitus, totius fere Montisferrati ditionem in suam potestatem redegerat. Nullum detrimenti genus excogitari poterat, quod miserrimi incolae non experirentur; quibus Itali omnes hæc audire, nedum perpeti assueti, adeo commovebantur, ut jam innumeras florentissimæ provinciae portendi

1613
Tracta-
tiones inter
Sabaudum
& Mantua-
num de pa-
ce.